

bit stultia. Si fuerit in eius quadrato uel oppolito in Ariete, non credet in Deum, erit homicida, proditor, non amabit aliquem, imò quemuis occideret & depraedaretur.

Cuicumq; planetæ iungitur Mercurius in illius planetæ naturam conuertitur, nam si Saturno iungitur, natus erit linguæ impeditæ, inuidus, occultator suæ inimicitia, Chirurgicus, Philosophus, contra naturam luxuriam exercens. Si Ioui per conjunctionem uel aspectum, significat prouidum, ueracem discretum, honestorum uerborum, cancellarium, consulem primum. Si Marti, mendacem, deceptorem etiam mulierum & uirginum. Si Soli, Regibus associabitur & scriptoribus. Si Veneri, amator omnium scientiarum, bonus, & suavis rethor, bonus iudex, arbiter & procurator. Hæc prædicta significat etiam Mercurius cum fuerit in domibus uel terminis illorum planetarum, sicut quando eis iungeretur, quoniam planetarum significatioes, sunt similes significationibus suorum dominorum.

Mercurius sub radijs, natus peraget negocia sua secrete, nec detegentur facta eius.

Ascendens cum fuerit boni esse, & dominus eius mali, sanitatem quidem corporis indicat, anxietatem uero & tristitiam animi, si fuerit econuerso, definias contrarium.

Cancer in ascendente, Luna nec in signis fixis nec in angulo, facit hominem credentem omnia quæ audit, erit mobilis animi in omnibus.

Si fuerit Leo ascendens & in eo Mars, in suis aut Mercurij finibus, natus ualde iracundus erit, & ad rixas & contentiones procliuior, & eo plus si Sol Martem quadrato uiderit.

Verum si fuerit Mars in Leone in trino Iouis, temperabitur ira Martis & inerit nato illi animi quædam magnitudo, uisq; naturalis, ad res gerendas magnas & præclaras.

Saturnus coniunctus Mercurio in ascendente, significat insipientem, linguosum, uult tamen sapiens reputari, male loquitur de omnibus tam de uiris quàm de mulieribus, inuentor multorum mendaciorum, ualde turpis in lingua.

Dominus anguli terræ in sexta facit mendacem, proditorem.

Si dominus ascendentis natiuitatis peregrinus fuerit, natus erit callidus, astutus, maliciosus, scit facere bonum & malum, & ingeniose incedere in omnibus actibus quibus uoluerit, erit tamen eius intentio pronior ad malum quàm ad bonum.

Pars fortunæ in octaua domo iuncta domino ascendentis, significat magnam iram, tardum in rebus agendis, & si eam aspexerint infortunæ, erit diffamatus in tota uita sua.

Pars legis in ariete, significat iracundiam, & quòd erit fortis, ac uelocis iræ, & ab alijs sæpe dissidens. Si talis pars cum Venere fuerit, significat amatorem gaudiorum, iocorum, & lætitiarum, erit pulchræ formæ.

Iupiter in ascendente in domo Mercurij, significat bonitatem intellectus.

Si fuerit Almuten ascendentis sub radijs, occultabit natus intentiones suas.

Pars fortunæ in bono loco, in angulo radijs Iouialibus illustrata, significat sanitatem corporis, & hilaritatem spiritus.

Si fuerint Venus & Mercurius coniuncti, uel sese aspicientes bono aspectu, natus diliget simphonias musicales, & ornatus uestium.

Si fuerit Sol in prima cum Mercurio, tenaces dicito, & ad Poësim inclinatos.

Dodecatemoria planetarum.

Q. iij

Dodeca